

peries ad propugnaculum c, cum Dioptra H in Regula puncta 800. Volve etiam Regulam ad gradus 46. in semicirculo & Dioptram H ad propugnaculum d. & reperies puncta 991. Volve item Regulam ad gradus 75. & Dioptram H ad propugnaculum e. & reperies puncta 959. Sed & ad gradus 119 volve Regulam & Dioptram H ad propugnaculum f. reperiesq; puncta 615.

*Nota. Studiosè cavendum est, ne regula A E dimoveatur.*

Cupiens igitur scire, quantum singula propugnacula à se distent, ita operare: Volve Regulam A E. ad gradus 25. & Regulam A F ad gradus 46. Volve item Dioptram G ad puncta 800. quæ longitudo est ad propugnaculum c. Inde Dioptram H volve ad puncta 991. quæ longitudo est ad propugnaculum d. Pone deinde Regulam foramineam in Dioptrâ G. & dirige illam versus H. & vide quos gradus abscindat ad Dioptram H. reperiesque puncta 458. Præterea volve Regulam A F ad gradus 75. in semicirculo & Regulam A E. ad gradus 46. & move Dioptram G ad puncta 991. & Dioptram H ad puncta 959. eritque hæc distantia ad e. Pone deinde Regulam foramineam in Dioptrâ G & dirige illam versus H. reperiesque in Regula istâ puncta 425. quæ distantia erit a d. usque ad e. Volve insuper Regulam A F. ad gradus 119 in semicirculo. Regulam verò A E. ad gradus 75. item Dioptram G ad puncta 959. & Dioptram H ad puncta 615. tuncque pone Regulam foramineam in Dioptrâ G & dirige illam versus H. reperiesque puncta 617. quæ distantia est ab e, usque ad f.

*Nota. Instrumentum pro libito mensuris potest dimoveri super baculo, aut planè removeri.*

Desiderans ergo cognoscere, quantum distent à se propugnacula f. & c. ita operare: volve Regulam A E ad gradus 25. in Hemispherio, & move G. ad puncta 800. impositam tunc Regulam foramineam dirige versus H. reperiesq; puncta 985 quæ distantia est ab f usque ad c. Cupiens porrò scire, quantum f & d à se distent, volve Regulam A E. ad gradus 46. & volve Dioptram G ad puncta 991. impositamque Regulam foramineam dirige versus H. & reperies puncta

C